

V C  
3333



420



## EPICVM CARMEN,

*in honorem*Illustrissimi generosissimiq; Principis  
ac Domini,DN. IOANNIS  
GEORGII,

Ducis Saxoniae, Landgrauij Thuringiae, Mar-  
chionis Misniae, & Burggrauij Magdeburgensis,  
Domini sui clementissimi, cum ex Italica peregri-  
natione, XI V. Calend. Februar. anni M. DC. I.  
suscepta, & V. Id. Februar. insecuti anni trans-  
acta, Dresdam saluus & incolumis reuerte-  
retur, pie gratulationis ergo  
*contextum*

a

M. Ioanne Lucio Dresdensi, Ecclesiae  
patriae Diacono & P. L.



D R E S D Æ

Ex Typograph. Matthaei Stæckelij junioris.  
M. DC. II.





Vique suum arbitrium est, tenet ac sua quen-  
que voluptas.

Quàm verò varia & longè diuersa voluntas  
Est hominum, altricis terra conuexa colentùm?  
Nanque eadem haudquaquam cuncti sectantur amantq.

Plebeijs plerique ferè maioribus orti  
Oppidò amant latitare domi, molli oia curâ  
Exercere, pyra & mammosa assare calentem  
Post fornacem, atque ignauo se sternere somno,  
Et nunquam à patrijs raròue recedere tectis,  
Vicini quando dispersa mapalia pagi  
Inuisunt, dapibus festisq, epulantur, in aruis  
Et saliunt vnctos hilari inter pocla per vtres.  
Sin ausint tandem genitali excedere terra,  
Nil tamen omnino addiscunt, cælumq, solumq,  
Non animum & mores, mutant, talèsq, recurrunt  
In patriam, quales fuerant olim inde profecti:  
Anser uti Rhenum supra volat, & redit anser.  
Sunt nimirum isti numerus disperdere frugèis  
Natus, telluris sunt fungi odiùmq, capacis.

Magnanimùm verò generoso sanguine creti  
Heroum, plerunque solent exquirere gentes  
Externas, peregrino urbèisq, capessere in orbe  
Longinquas, vetera illarum cognoscere jura  
Et linguas auidi, mores quoque labe carentis.

Hoc facis ô Princeps illustris, mascula proles  
Altera Christiani Electoris, IANE GEORGI,  
Egregias gestans sublimi in pectore dotes,  
Ingentemq, animum, & mirum virtutis amorem  
Viucis, qui mox viridis sub flore iuuenta  
Primoeno, etatis postquam annos penè bis octo  
Compleras, modica at fida comitante cateruâ,  
Mcenia maiorum linqvis sedemq, paternam,

A 2

Ignotâq,

Ignotâq; tibi ingrederis regione viarum.  
Ac iter illud inis, dum non tractabile cælum  
Et fera sæuit hyems, dum frigus adurit acerbum  
Rura urbâsq; omnes: Aquilo dum creber ab oris  
Spirat Hyperboreis, & turbida nubila differt:  
Dum dura oblimatur humus niuium aggere vasto,  
Cunctâq; Rhiphæis stant circumfusa pruinis:  
Dum glacies cursus Arctoa refrænât aquarum,  
Indutâq; rigent vestes, atque horrida canis  
Culminibus barbâsq; hirsutis stiria pendet.

Tempore sollicitum eijceret quo nemo molossum,  
Illo iter instituis, cursu tendisq; volucris  
Ausoniam in celebrem, quam gens tenet Itala, ab aruis  
Gens missa Iliacis, gens felicissima, claro  
Si non cælestis cassa esset lumine verbi.

Nec tamen idcirco regionem accedis in illam,  
Vt, quæ sanctorum superant, (si credere dignum est)  
Ossa & reliquias sanctè venerere colâsq;,  
Humana & purges contagia tristia culpa,  
Ac penitus fias purganti liber ab igni:

Quod fieri hac ratione volunt documenta Papatus.  
Verùm oram, quæ Graiugenis cognomine dicta est  
Hesperia, hac visis de causa, ut lumine lustres  
Flagranti immensas urbes, ac oppida fossis  
Cincta, sacras aedas, delubrâq; grandia, celsas  
Pontificumq; Ducumq; arcas, procerumq; penates  
Regales, maria ingentis obeuntia terras,  
Flumina, torrentas, & stagna, habitusq; statusq;  
Diuersorum hominum varios, morèsq; decoros.

Quinetiam ad tempus certum haud inuitus ibidem  
Versaris, nativum Itali ut cultum, atque nitorem  
Eloquij purum acquiras, & plurima signes  
Virtutis pulcræ vitiiq; exempla pudendi,

Multarumq;

Multarumq; usum rerum ac memorabile nomen  
Conspicuumq; parans decus, & per se ante celebri  
Stirpi addens proprium, clarissimus auctor, honorem,  
Natalis repetas, cunctis plaudentibus, edas.  
Ceu turpe est, migrasse domo incultumq; redire:  
Sic pulcrum est, abisse alio cultumq; reuerti.

Maeste noua virtute tua augustissime Princeps,  
Naeste id, cur libuit finas peragraré Latinos,  
Sic fama insignis, sic gloria funeris expers,  
Sic laus congeritur, seclis mansura futuris.

Gratia magna DEO, saluos qui teq; tuosq;  
E patria comites terras traduxit in illas.  
Maiores DOMINO grates persoluere eidem  
Fas est, in Latio quia te fidumq; ministrorum  
Agmen ab insidijs & vi defendit iniqua:  
Arida cumq; tuos febris depasceret artus,  
Horrorem auertit truculentum aestusq; malignos:  
Ac, ubi membrorum robur virésq; priores  
Colligeres, sede hospitioq; beavit amæno.  
Premia digna tuo & sublimis reddat honores  
Hospiti, in hac vita presenti æuq; sequenti  
Omnia qui cumulo ingenti benefacta rependit.  
Maxima sed summo nunc gratia habenda Parenti est,  
Incolumem quod te cum magnifico comitatu  
Restituit patriæ, tanta inter iubilâ, terræ.

Gratatur reduci Nato carissima Mater:  
Gratatur reduci Fratri par nobile Fratrum,  
Alter Septemuir, Rector jam Leucoris alter:  
Gratatur reduci Fratri par dulce Sororum:  
Gratatur reduci Domino tota aula, domusq;,  
Atque vrbs, & regio patria, almae subdita Rutæ.

O lucem verè felicem, & amabile tempus,  
Signandum Cressaq; nota, & meliore lapillo!

A 3

Ipsa

Ipsa hac luce tuis intentis omnibus unus  
Confectum narrabis iter, cursumq; docebis  
Conuersum, memorans, quot in illa accesseris urbes  
Et quantas regione. Ita nanque ex ordine quæuis  
Pendantur: campos extenta Cremona patentes,  
Mantua diues auis, atque apprimè apta ferendas  
Ad fruges Verona, Antenorea inclyta, sedes  
Et Venetum spumans undis, ratibusq; superba.  
Tum Mutina, Aemiliog; propinqua Bononia Rheno,  
Et fortis Ferraria, & uluo oblecta Rauenna,  
Fax belli ciuilibus Ariminon, arduaq; Ancon.  
Nursia post antiqua, Aquila, atque liquoribus uber  
Pregelidis Sulmo, Sipus, portuq; capaci  
Nobile Brundusium, Venusinum tractus, & olim  
Pectinibus patulis solitum se efferre Tarentum.  
Celsa Croton, Pæsti rubicunda roseta, Salernum,  
Parthenope, Cumæ, & quod nunc vocitant Beneuentum,  
Oppidum & à puteis quod adeptum est nomen: Acerre,  
Vulturnum, Attella, ac Amiternum, Atinâq;, Baia,  
Nuceria, & Capua, & niueis Sinuessæ colubris  
Exundans, Scauli, cannarum munere dulci  
Insignes, Caieta, Itrum, Fundi, Anxur, Aquinum:  
Peruiridiq; olim luco Feronia, & Anci  
Antiqui domus, & Preneste, & fertile Tybur;  
Priuernumq;, solum fortis natale Camilla,  
Setiâq;, & Sermoneta, ouiferaq; Velitra,  
Antemnaq;, Lanûmq;, & Aritia, mæniâq; ample,  
Septem arcas quondam circumplectentia, Romæ,  
Romæ, que Latij fuit arx & totius orbis.  
Nec non Ocriculum, collig; imposta præalto  
Narnia, Spoletum, vestita oleisq; Mutusce,  
Fulgina, Hispellum, Assisium, Perusinâq; rura,  
Sutrium, & accliu extractum sub rupe Viterbum,

Ac



Ac prestans Bacchi precioso humore Faliscum.  
Hinc Boneconuentum, & multum Sena inclyta, Pisa,  
Luca, & Pistorium, Florentia clara, vetusq;  
Armifone regnum Genuæ atque ad fræna rebelle,  
Et Derthona, Placentia, Parma potens, Ticinumq;  
Ac Mediolanum populo patribusq; repletum.

Flumina dicentur porrò: gelidusq; Timæus,  
Et velox Athesis, velatus arundine glauca  
Mincius, & Rubicon, Tifernus, humumq; Galesus  
Persegni latice humectans, Silarusq;, Tanagri  
Ripa madens, curuus Fabaris, sinuosus Himella,  
Sarnus, Vulturususq; rapax, vada cæca Numici,  
Atque Vfsens tumidus, Nar sulphure notus odoro,  
Et præceps Anien, & Tybris corniger, alto  
Tyrrhenum in pelagus sese qui gurgite condit:  
Aufidus Hirpinis nascens è montibus, Arnus,  
Clitumnus, Tarusq;, & canis fluctibus errans  
Eridanus, lymphaq; nitens Ticinus amæna.

Deinde lacus varij magniq;: at maximus omnes  
Larius ante alios, fremitu assurgensq; marino  
Benacus, vitrea resplendens Fucinus vnda,  
Amsanctus, magno conchyliæ curua Lucrinus  
Progenerans numero, cænosaq; abyssus Auerni,  
Fundanus, Cyminus, Vulsinusq; & Thrasymenus.

Præterea montes, cælo scopuliq; minantes:  
Præcelsaq; Alpes, ac nimbifer Apenninus,  
Adriacumq; exporrectus Garganus in æquor,  
Ilicibus nigrisq; virens Alburnus, & ingens  
Syla, ac pampineis uber Vesuuius umbris,  
Pallentiq; cacumen oliua insigne Taburni,  
Et Tetrica, & Gaurus, Tifata, horrensq; Seuerus,  
Algidus, Albanusq;, juga & Cymini Vesuliq;.

Suauibus hæc verbis dum longè & plura retexes,

Visa

10 3333 OK  
Visa tuis illic oculis, animòq; notata,  
O verè illustris Princeps, narrantis ab ore  
Pendeat mirans Genitrix, Fratèrque, Sororèsq;  
Et proceres aulae, ornati & virtute ministri,  
Donec vertetur caelum, ac ruet Oceano nox,  
Corpora fessa jubens jucundum carpere somnum.

Salve maternæq; domus, stirpisq; paternæ  
Gloria: salve alma magnum patriæ incrementum:  
Salve, hos atque boni hand bene comtos consule versus,  
Quos crebra quassus tussi, turpiq; podagra  
Oppressus feci. Misera ægri carmina condunt:  
Incolumes vegetiq; magis felicia fingent.  
Verùm quodcunque hoc scripti jam promere malo,  
Quàm, muti ut pisces, ore obmutescere prorsus  
Compresso, patriæ Princeps dum redderis urbi.  
Ne quæso auersare imo de pectore seruum  
Gratantem, reduciq; tibi bona quæque precantem.  
Longinqua in patriam Domino è regione reuerso  
Gratari seruum pietas monet ipsa fidelem.  
Proposita hæc nostra fuit unica meta Camæna.  
Gratari volui, gratari ut debeo. Metam  
Hanc tetigi tandem, DOMINO aspirante. Politis  
Qui numeris cupiunt laudem sibi querere, querant.  
Sat mihi erit, tantum modò si fecisse videbor,  
Quantum par fieri est, tenuis patiturq; facultas.  
Paruus ego seruus, tu verò magnus es Heros,  
Cui (precioso etenim careo) hoc vile offero donum.  
In magnis meritò est vel sola probanda voluntas.

F I N I S.



115


tis  
at.

ULB Halle 3  
004 801 636





Qd. 30, 4.



# KODAK Color Control Patches


© The Tiffen Company, 2000

## Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White
------	------	-------	--------	-----	---------	-------



V c  
3333

EN,  
Principis  
NIS  
I,  
ringie, Mar-  
agdeburgensis,  
Italica peregrini-  
anni M. D. C. I.  
i anni transf-  
is reuerte-  
ergo  
Ecclesia  
ly junioris.

